



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Calamus, Atramentum, Charta, Tabula.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

de illa verbum malum. Judith. 8. Ecce speculum devotæ Virginis aut Viduæ. *Cum oraveris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.* Matth. 6. Hoc est, non ut Pharisæus vanam quære gloriam ex oratione publica. Cæterum quod bonum exemplum dandum sit publicâ quoque ac devotâ oratione in Ecclesia, docet nos lex vetus ac nova, ipsaque sana ratio & Ecclesiæ præcepta. *Quod in aurem locuti estis in cubiculis* [v. g. tempore exercitiorum spiritualium] *predicabitur in tectis.* Luc. 12. Sive ex ambone: sic etiam omnia secreta sive bona, sive mala apparebunt in die iudicii.

*Calamus, Atramentum, Charta, Tabula.*

**L**ingua mea calamus Scriba velociter scribetis. Pl. 44. Sicut enim calamus obsecundat manui scribentis, ita lingua mea proferet promptè, quæ illi animus à Spiritu S. afflatus suggesserit. *Manifestati quod Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi.* 2. Cor. 3. *Non in tabulis lapideis ut lex Moylis sed carnalibus corde molli, Atramentarium Scriptoris habebat in lumbis suis, & dixit Dominus ad eum. Signa Thau super frontes, dolentium super cunctis abominationibus sive peccatis.* Ezech. 9. Vir hic descriptus erat Angelus, quinque ejus comitibus Angelis iussit Deus, ut omnes occiderent in Jerusalem præter signatos litterâ τ. hæc apud Ægyptios erat characteristica littera futuræ vitæ. Apud Latinos & Græcos damnandis à iudice præfigebatur

batur Thita, liberandis Thau. Tempore Antichristi signabunt Angeli Apoc. 7. v. 3. Electos Christi Crucis signo. Imò putant aliqui teste Salmeron Beatos omnes in cælo pro frontibus insigniendos *Cruce* quasi tessera & trophæo Christi, quo testentur se meritò Crucis cælum possidere. *Plura habens vobis scribere nolui per chartam & atramentum, sed os ad os loqui.* Joan. Ep. 2. & 3. Et id sæpè meliùs est Littera enim sicut scripta manet, ità non potest se ipsam & occurrentia ex ea dubia explicare. Quanquam & hoc verum sit, quòd honorans aliquem prout decet pileo vitro & calamo multum inde habere possis emolumentum. *Allata sunt ei littera* (Joiam Regi Judæ) *ab Elia Propheta* l. 2. Parallip. c. 21. ex Paradiso, in quem à novennio curru igneo, hoc est, splendidâ nube translatus fuerat, malorum ob scelera Regis prænuntiæ. Tu cave ne noteris in libro, quo continentur pœnæ æternæ sceleratorum.

*Fornix.*

**E***Rexit sibi fornicem triumphalem.* 1. Reg. 15. Saul cæsis Amalecitis, non Deo auctori victoriæ, & ideo non continuatur felicitas Principum, quia elati prosperis obliviscuntur Dei, *Dissipat impios Rex sapiens, & incurvat super eos fornicem.* Prov. 20. Hoc est, ità obruit, & quasi sepelit illos, ac si deturbato in subjectos fornice cubiculi totos ruinis involveret.

*Pavimentum.*

**A***Dbasit pavimento anima mea (pondere ærumnarum pressus humi jaceo) vivifica*